



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

17. Multorum operum Domini caussas in altera demu[m] vita
patefaciendas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

putat esse Deum, qui Deum sic iudicat. Et tamen sunt, qui Deo leges ponere, & quid facere debeat, præscribere, quòdque fecit, impatienter ferre. damnare, carpere audent.

XVI.

Matth 20. 12

Quàm meritò istos tales reprehensores Deus reprehendit, sicut ille paterfamilias murmuratores, qui dicebant: *Hi nouissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & astus?* Quid, ó miseri, dicitis? Pares fecit, an ideò malè fecit? ut sic faceret, causam habuit, vos non habuistis, ut murmuraretis. Iustus fuit ille, qui vobis, precio, quod pepigerat, persoluto, iniuriam non fecit: vos iniusti, qui bonitatem illius liberalitatèmq; in ceteros, & oculo nequam aspexistis, & proteruè iudicauistis. Longè proteruiore sunt, qui Deum ipsum audent, lingua impetere, & Iudicia eius sanctissima, impià temeritate suà contaminare.

XVII.

Multorum euentuum causam nequit homo plenè assequi, multorum nec attingit diuinando; nec expedit temerè illam scrutari, ne maiestatis scrutator, opprimatur à gloria. In cælum harum quoque rerum cognitio referuatur. Qui in gaudium Domini intrauerit, intrabit etià in potentias Domini. Quò & Dauid sibi scientiam occultorum Iudiciorum Dei referuauit, eorum causas etià post multum laborem non assecutus. *Existimabam, ait, ut cognoscerem hoc, labor est ante me: Donec intrem in Sanctuarium Dei: & intelligam in nouissimis eorum.* Sape enim, quod in vita latet, etià in morte hominis apparet. In cælo autem semper Dei consilia, tanquam in Sanctuario, manifestantur. In terris illud accipe consilium, immò documentum: *Noli discutere opera Altissimi, sed tuas iniquitates perscrutare, in quantis deliquisti, & quàm multa bona neglexisti.*

Psal. 72. 16.

Thom. de
Kemp lib. 3.
de Imitat.
Christi. c. 4.

CAPVT IV.

Licitum, & utile esse, ut subinde diuinorum Iudiciorum causas indagemus.

I.



Vanquam Iudicia Dei occulta, immò inscrutabilia sint, atque hominum intelligentiam multis parasangis, excedant, neque magis ab humanæ mentis angustia, quàm immensum pelagus ab exigua scrobe (quod D. Augustino ostensum fertur) queant comprehendi, rectissimeque faci-